

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Mutianus Presbyter, Ioanni Reuchlin S. D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

Mutianus Presbyter, Ioanni Reuchlin S. D. P.

ADEPTVM te credo quod amplitudo tua meretur securi-
tatem & ocium, ut liberius philosophari & infinitis homini-
bus tui planè amantissimis bene scribendo opitulari possis
Scribunt enim ad me qui Romæ in forensi puluere inter notissi-
mos Rabulas ambitiose litigant, fauere tibi doctissimos quosq;,
probari plurimis tuum conatum etiam Monachis, & quod mira-
biliter mihi suaue est, qui olim Dominici Fratibus studebant er-
rantes ob orthodoxorum nimiam credulitatem, nunc authorita-
te tui nominis impulsæ, non (inquiunt) estis uos Prædicatores pro-
pretea quæ deformatis uocabulum maledicendo, sed potius obtre-
ftratores. Neque ego non noui complures qui te sanctius diligant &
cum pietate colant, quæ suas cerimonias & instituta. Nobilis enim
ueterum doctrina te duce resurgit. Ad me quotidie confluunt bo-
ni adolescentes, quibus CAPNION est in ore & in pectore, hic
sele græcum probat, ille hebraicas & uere arcanas literas admirat
quantum a præceptoribus insulsis ad nugas trahuntur uel emen-
das uel discendas, tantum utroque pede resiliunt ad sequenda uesti-
gia spectabilitatis tuæ. Quæ si uacatione recuperata docere uelles quæ
cumulatissime didicisti, mitterem ad te optimos auditores. Nup-
Crocus Britannus (qualem ipse se facit, quanquàm ob linguæ mobili-
tatem & mores græcanicos uideatur esse græculus, nam Theocri-
tum iucundissime legit, & cum gratia balbutit) cum apud me quie-
sceret, & Grocinum & Aleædrum, & nescio quos magistros lauda-
ret, deesse sibi dixit hebraicam sapientiam quam omni uia profe-
qui uellet. In eodem sunt proposito Phædrus hic cuius epistolam
exhibeo, & multi discretissimi iuuenes. Ego uero rationem costi-
tuendæ bibliothecæ peto, & nisi properarent tabellarii, uerbofius
id ipsam a tua excellentia contenderem, cui si fortuna non deest
nihil deest. Quid enim uir sapientissimus ac diligentissimus præ-
ter fortunam requirat, non uideo. Vale. Dat. Idib. Septemb.

Petrus Mosellanus Ioanni Reuchlin S.

EQVIDEM uellem uel ipse exploratum haberes, Optime
Capnion, quæ te etiamdum inuisum, non solum ardentem am-
colamque, uerum & magno cum stupore admirer, uel mihi tan-